

ZACHARIAS HERMANNUS

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, ECCLESIARUM ET

SCHOLARUM AMPLISS; REIPUBLICÆ WRATISLAVIENSIS

INSPECTOR AC PASTOR PRIMARIUS,

PIO ET ERUDITO LECTORI

USCINIAM mirantur ii, qui naturas animalium describunt, quòd in tam parvo corpusculo tam clara, tam sva vis, tam magna, tam jucunda vox inveniatur, addo plura, quibus alii *γοαφνωσ* a vicula peculiarem modulandi vim exprimunt: quòd verno tempore, cum frondescere arbores incipiunt, quindecim diebus ac noctibus perpetuis, sine ullà penitus intermissione, canere soleat. Unde quæso in avicula tam pertinax spiritus? Unde vis illa in canendo tanta, ut unà continuatione cantionis, binæ contentiones vocis & remissiones audiantur? Unde tam artificiosa, tamq; perfecta Musicæ scientia? tam ingeniosa modulatio? tam gravis & gratus auribus sonus? qui modò in longum continuo spiritu trahatur, modò summà quædam cum varietate flectatur: nunc concisà voce distingvatur; nunc intortà copuletur. Quid, cum iterum vocem revocat, & integrâ comprehensione cantum edit? Quid, cum modulos nec opinatò, repenteq; commutat? Quid, cum ipsa secum jucundè taciteq; murmurat? Nulla certè tam abstrusa, tam difficilis, tam varia cantio est, quam non exprimat una luscinia, plenam, gravem, acutam, crebram, extentam, summam, mediam, imam. Quid plura? Tam parvulis in faucibus omnia, quæ tanto labore, tantà industria, tanto studio, tot inventis instrumentis, generata cantionum ars hominum excogitavit, integra atq; perfecta reperiuntur.

Mirantur sanè qui volunt, & elegantiori etiam orationis genere effingant momentanea hæc & alia in naturâ ornamenta. Nobis voluptas sit harmoniam Virorum Spiritu sancto inspiratorum audire, & inter illos præcipuè Paulum *τα λόγια τῶ θεοῦ* graviter & sva viter proferentem, nec non præclarum atq; insigne doctrinæ Christianæ compendium constituentem, rerum momentis, argumentorum nervis, verborum elegantia tam affabrè constructum, ut ignores, quid rimari vel mirari prius debeas.

In hoc certè Apostolo, tam perfecta est atq; absoluta prorsus omni dicendi ratio, ut illum dono quodam Providentiæ genitum esse credamus, in quo totas vires suas pietas & eloquentia experiretur, clarus, sva vis, jucundus, gravis, qui divinâ ingenii felicitate, quicquid in omnibus aliis Apostolis, admirabile, politum, ingeniosum, eximium, divinum reperitur, id suis in epistolis totum illustravit, in hoc uno vis Demosthenis, copia Platonis, jucunditas Isocratis univèrsa continetur. Verùm haudquaquam opus esse arbitror humano more electum illud *DEI ὄργανον*, commendare, cum Salvatoris de Paulo elogium, & testimonium de coelo fidem abundè præstet, ac ipsa Apostolatus illius historia, quam Lucas in Actis tanquam illius comes ac testis *ἀντόπῃ* conscripsit.

Post absolutum itaq; Historiæ Apostolicæ pensum, propositum est mihi deinceps, adjuvante *DEI* gratiâ, Epistolæ Paulinæ ad Romanos *διέξοδον* instituire, quòd Theologiæ Medullam contineat. Et quam vis primò scripta non est, meritò tamen inter reliquas, & hujus, & cæterorum Apostolorum, Epistolas ob argumenti dignitatem, doctrinæ ubertatem & tractationis *ἀνεξέτητον* primum obtinet locum.

Malè autem, imò pessimè agunt, quicunq; urgent, ut populus precioso Christi sanguine redemptus, à lectione Epistolæ istius, sicut & cæterarum scripturarum arceatur, ac si in illis essent solæcismi, verba obscura, plebeia, trivialia, nec non inornata dictio, nempe ut illud Christi impleatur: Erratis nescientes scripturas, videaturq; ex indubitatis huiusmodi argumentis, quàm non Christi gloriam & Ecclesiæ ejus salutem, sed potius manifestæ veritatis oppressionem ad hoc quærant, ut securè possint sine negotio ad otium & splendorem patrimonio Christi in mediâ imperitæ plebis caligine abuti.

Paulo Apostolo non tantum venerandus antiquitatis chorus assurgit, sed & D. Petrus ipsi laudem sapientiæ tribuit, quam quia homines *ἀμαθῆς καὶ ἀσηκῆτοι*, indocti & instabiles, non intelligunt, totius sacræ scripturæ odio, & traditionum humanarum amore in propriam perditionem depravant. Verùm textus Apostolici vindicationem piæ menti, *DEO* volente, exhibebimus, ubi operi illi manum admovebimus. Non quòd post insignes sincerorum Theologorum labores operosius aliquid moliri queam, sed quoniam mediocritati meæ ex officio incumbit, ut quæ tantus Apostolus ad eos scripsit, quorum fides in toto terrarum orbe celebrabatur, auditorio meo exponam, quâ potero tam brevitate, quàm *σαφηνείᾳ* sive perspicuitate, ea in medium afferam, quæ ad verum & germanum sensum explicandum facere videbuntur.

Utinam Romanis modernis aureum Apostoli ad Romanos olim verè orthodoxos scriptum aurem vellicaret, ipsisq; attentius, illud legentibus oculos aperiret, sicut Luthero, qui non uno in loco scribit, se, ex Epistolæ hujus lectione & consideratione, factum Theologum, & postquam ei divinitus datum fuit intelligere illud dictum: **JUSTUS FIDE VIVIT:** & quanam sit illa justitia *DEI*, quâ justificamur, nempe imputata Christi justitia & obedientia; se tunc demum velut ex inferis revocatum, & illum thesaurum cum univèrsis Regum terræ gazis & thesauris non commutaturum.

Filium *DEI* fontem omnis sapientiæ & scientiæ, cujus Spiritu hæc epistola dictata scriptaq; est, oro, ut ejusdem celestis auræ primitias nobis, ad hoc sanctum institutum feliciter perficiendum, clementer largiri dignetur.

Benevolum Lectorem obtestor, ut conatum nostrum voto ac piis precibus adjuvet. Juventutem scholasticam hortor, ut textum Apostoli diligenter legat, cumq; scriptura non sit in legendo, sed intelligendo, ad declarationem ejusdem, novo quodam & alacri studio conveniat: Ita laborem nostrum in Domino haud inanem fore confidimus. Initium facturi, cum bono *DEO*, die Jovis horâ nonâ. P. P. Dominica VII. post TRINIT. ANNO CHRISTIANO 1615.

ZACHARIAS HERMANNUS
SS. THEOLOGIE DOCTOR, ECCLESIARUM ET
SCHOLARUM AMPLISS; REIPUBLICÆ WRATISLAVIENSIS

LECTOR ET ERUDITO LECTORI
Usciniam mirantur ii, qui naturas animalium describunt, quòd in tam parvo corpusculo tam clara, tam sva vis, tam magna, tam jucunda vox inveniatur, addo plura, quibus alii *γοαφνωσ* a vicula peculiarem modulandi vim exprimunt: quòd verno tempore, cum frondescere arbores incipiunt, quindecim diebus ac noctibus perpetuis, sine ullà penitus intermissione, canere soleat. Unde quæso in avicula tam pertinax spiritus? Unde vis illa in canendo tanta, ut unà continuatione cantionis, binæ contentiones vocis & remissiones audiantur? Unde tam artificiosa, tamq; perfecta Musicæ scientia? tam ingeniosa modulatio? tam gravis & gratus auribus sonus? qui modò in longum continuo spiritu trahatur, modò summà quædam cum varietate flectatur: nunc concisà voce distingvatur; nunc intortà copuletur. Quid, cum iterum vocem revocat, & integrâ comprehensione cantum edit? Quid, cum modulos nec opinatò, repenteq; commutat? Quid, cum ipsa secum jucundè taciteq; murmurat? Nulla certè tam abstrusa, tam difficilis, tam varia cantio est, quam non exprimat una luscinia, plenam, gravem, acutam, crebram, extentam, summam, mediam, imam. Quid plura? Tam parvulis in faucibus omnia, quæ tanto labore, tantà industria, tanto studio, tot inventis instrumentis, generata cantionum ars hominum excogitavit, integra atq; perfecta reperiuntur.



P. P. Dominica Epiph. prima. Anno exuberantiæ gratiæ MDCXV.

ZACHARIAS HERMANNUS
 SACROS. THEOLOG. DOCTOR, PASTOR ET
 INSPECTOR ECCLESIAIARUM ET SCHOLARUM VRATISLAVIENSIVM.
 AUDITORIBUS SALUTEM.

Cladiatori annoſo qvondam fixis armis ad valvas Herculis in agrum ſecedere licebat, ne populi miſericordiam, qvam ſæpè jam eſſet in arenâ conſecutus, denuò efflagitare cogeret. Illis certè, qvi tot annos in ſacro ſtudiorum certamine verſati, toties depugnâſſent, toties non modò populi veniam, ſed etiam benevolentiam obtinuiffent, idem tranqvillioris vitæ reſeſus rectiùs conceditur, ut pauliſper animus ex illo continuorum laborum ſtrepitu recreetur, & altiùs reſpiret. Ego verò ſub alarum divinarum præſidio in acie adhuc militans, in arenam rurfus deſcendo, & arma hyemali rubigine non nihil arroſa capio, amore Chriſti divino inflammatus, & ſtimulis auditorum excitatus: Atq; hæc ſit in veſtris etiam animis infixæ cura ſempiterna, ut qvæcunq; in aliis non ſolùm probantur, verum etiam laudantur, hæc in omni vitâ virtutis ſtudio reipſa præſtetis. Periculum enim eſt, niſi advigilemus, niſi adnitamur, niſi omnes ætatis induſtriæq; nervos contendamus, niſi Chriſtus OPT. MAX. nos reſpiciat (reſpiciet autem pro ſuâ bonitate ſemper) Eccleſiamq; ſuam in medio inimicorum conſervet, ne brevi omnis Chriſtiana religio ex hominum animis memoriâq; deleatur. Oro itaq; vos per illam in nos indulgentiam Dei ſingularem, tam multis beneficiis declaratam, ut omnia ſtudia, omnes conatus, omnem induſtriam, operam, laborem, diligentiam ad ſanitatem mentis, ad Eccleſiam erigendam, ad Rempublicam Chriſtianam ex tantis miſeriis excitandam conferamus: ut ubi honeſtiſſimis in laboribus vitam hanc, qvæ brevis eſt, conſumſerimus, in clariffimo illo beatorum domicilio, Dei conſpectu perpetuo fruamur, cui ſoli ſumma laus debetur in omnem æternitatem. Capituli ſexti epiſtolæ ad Romanos explicationem, Deo juvante, die Jovis horâ nonâ inchoabo. P. P. Anno Salutis 1616. Dominica in Albis.

ZACHARIAS HERMANNUS
 SACROS. THEOLOG. DOCTOR, PASTOR ET
 INSPECTOR ECCLESIAIARUM ET SCHOLARUM VRATISLAVIENSIVM.
 AUDITORIBUS SALUTEM.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. A red circular stamp is visible in the lower middle section.]

1615